Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

usus ei seu imperitia denegabat, fodiendo, seu ligna caedendo et propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus aeque laboriosis illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quaeque opera confugiens, laborem humilitate compensabat. Et mirum in modum his qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed et plurimum delectabatur. Sed mortificata, ut dictum est, sensualitate, cuius seu curiositate seu infirmitate in huiusmodi laborum corporalium distractionibus perfectorum etiam quorumque mentes saepe necesse est, et si non intentione, certe memoria et cogitatione ab interiore unitate spiritus aliquatenus pati dissolutionem, ipse privilegio maioris gratiae in unitate spiritus simul et totus quodammodo exterius laborabat, et totus interius Deo vacabat; in alto pascens conscientiam, in alto devotionem. Laboris igitur tempore et semper interius orabat seu meditabatur, absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque iactura interioris suavitatis. Nam usque hodie quicquid in scripturis valet, quicquid in eis spiritualiter sentit, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitetur accepisse; et in hoc nullos aliquando magistros se habuisse nisi quercus et fagos. Ioco suo illo gratioso inter amicos dicere solet. Quantum vero in scripturis valeat, palam omnibus est, qui vel loquentem eum audire, vel aliqua quae scripsit legere potuerunt.

Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore et gaudio sancti spiritus occupatis, cum ipse quia impotens et nescius laboris ipsius sedere sibi et requiescere iuberetur, admodum contristatus ad orationem confugit, cum magnis lacrimis postulans a Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi. Continuo namque quod petiit impetravit. Et ex illo die in labore illo prae ceteris peritum se esse cum quadam iocunditate gratulabatur; tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab huiusmodi labore vel opere, iugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, utebatur; sin autem, ubicumque seu apud se seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem scripturas simpliciter et seriatim libentius ac saepius legebat, nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat; et quicquid in eis divinae sibi elucebat veritatis aut virtutis, in prima sui origine suae fonte magis quam in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam sensibus eorum suos sensus aequabat